

collectus, eò potissimum tempore, quò caput gravedine laborat.

§. 29. Locus autem, quò colligitur hæc materia, quæ tandem per nares evacuatur, est tunica illa, quæ, ut verbis utar, *Amplissimi Dn. Schneideri libr. 3. de Catarrhis sect. 2. cap. 2.* dicitur tunica pituitaria anterior, optimèquæ potest videri, manibusquæ contrectari, si invertas caput, maxillam inferiorem amovendo, & mox perfringas & avellas quartum os maxillæ superioris, post, nares incidas utrinque ac diducas.

§. 30. Laxa prætereà satis atque ampla cum sit membrana, argumento quòquæ magno putat esse laudatus *Schneiderus*, quòd ad materiam Coryzæ sufficere possit. Hæc superveniente, membrana ipsa sæpius inflammatur. Hinc illi dolores: Hinc insignes æstuantium narium prurigines: Hinc sternutationes dolorificæ atquæ cruentæ.

§. 31. Hujus materiæ generationem, adeoquæ sternutationem mediatè ipsam, procul dubio multum juvat intemperantia in vitu. Eleganter id ex *Alex. Problem. 144.* declarat *Septal. Commentar. in Problem. Aristotel. sect. X. 49. p. 144.* A cibo enim & potu, quibus sæpè homo aliis animalibus largiùs utitur, non minùs materia sternutandi, ipsaquæ sternutatio, ascendentibus in caput usquæ vaporibus, oriri potest, ac in ventre & ventriculo flatuum eruptiones; quas conjungit aliàs *Philosophus ipse section. Problemat. XXXIII. 9.*

§. 32. Idem probari potest per odoratum, quippe qui eandem cum sternutatione officinam habet, & ob eandem rationem in temperante excellentior est, quàm in intemperante. Exemplo canum id probat *Digbaus in demonstrat. immortal. Animæ rational. Tract. 1. cap. 27. p. 241. ed. Paris.* qui minori narium sagacitate pollent, dum largiori pastu saginantur, jacentesquæ in culinâ cibi nidores undiquæ hauriunt, quàm cum latibulo suo clausis parcior aptusquæ venaturis cibus præbetur. Digna est hîc in compendio legi historia, quàm de *Joanne Leodiensi*, nostri seculi prodigio, ad confirmandam hanc sententiam prolixè refert. Vixit hic per plurimos annos in sylvis solus, & ab omnium hominum consortio remotissimus, tantâ, ob summam ex necessitate temperantiam, vi in odorando præditus, ut